

1572
Fœderati
prælium
committere
statuunt.

nostri ab hostibus aberant . Classe ad Divi Nicolai Cytheræ promontorium , duodecim a Cervorum insula , octodecim a Malea passuum millibus coacta , rursus exquisitis sententiis , in hostem vadendum , prælioque decernendum statuitur . Cuncta ad pugnam expediri , galeatiæ , ac naves remulco trahi jubentur . Mox a Divi Nicolai promontorio ad Colubrarias insulas , duodecim circiter millibus a Malea , sese proripiunt . Ibi a speculatoribus transfugisque de hostium statu certiores facti , a locorumque peritis situ & munitione protectam classem in Argolico sinu expugnari non posse edocti , Maleam transgredi , atque e regione constitutos elicere e portu , & ad pugnam laceessere hostes placebat ; cum inalbescente cælo , e Cytheræ montium speculis , affertur , Uluzzalium egressum , noctuque Maleam prætervectum , in Vaticæ litoribus triremes , maonis relictis , octodecim a nostris passuum millibus intervallo explicasse . Metus ob id nostros invasit , ne , borea flante , Turcæ expansis velis in christianam classem imperum facerent ; cum præsertim naves litori propinquæ , octoginta passuum aqua extante , non sine periculo , ne vento abreptæ montibus illiderentur , anchoras tollere possent ; eademque de causa neque triremibus subveniri , neque acies commodè instrui liceret . Jamque hostiles aliquot prægressæ in Colubrarias insulas devehi inspiciebantur ; quæ mox , nonnullis excussis tormentis , depressis velis , se recepere .

Verum concidente vento , signoque pugnae edito , Columna , Fuscarenus , ac Gildandrada imperatores cum acie per medias duas Colubrarias egrediuntur . Superantius dextero agmine exterius deferebatur ; Canalius , qui cum sinistro a læva latus insulæ tenebat , latius , ut se reliquis conjungeret , in freto triremes disposuit . Ordinata acie , in hostem tendunt , secundoque assurgente flatu , naves ac galeatiæ , classe reliqua tergo insistente , longius provehuntur . Uluzzalius earum impetum veritus , Vaticæ , Cervorumque insulæ allapsus , veluti prælium absque navibus initurus , aliquamdiu substitit . Cum vero impellente vento inferrentur , ipsæ insulæ litus usque ad extremum promontorium legens , freto , duodecim passuum millium , quod inter illam , a Cytheram interjacet , occupato , classem ita instruit .